Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Incipit liber XII. Quod sit quod etiam in animo nostro intellegendum sit ad exteriorem hominem pertinere.

.I. AGE NUNC VIDEAMUS UBI SIT quasi quoddam hominis exterioris interiorisque confinium. Quicquid enim habemus in animo commune cum pecore recte adhuc dicitur ad exteriorem hominem pertinere. Non enim solum corpus homo exterior deputabitur, sed adiuncta quadam vita sua qua compages corporis et omnes sensus vigent quibus instructus est ad exteriora sentienda. Quorum sensorum imagines infixe in memoria cum recordando revisuntur res adhuc agitur ad exteriorem hominem pertinens. Atque in his omnibus non distamus a pecore nisi quod figura corporis non proni sed erecti sumus. Qua in re admonemur ab eo qui nos fecit ne meliore nostri parte id est animo similes pecoribus simus a quibus corporis erectione distamus. Non ut in ea que sublimia sunt in corporibus animum proiciamus. Nam vel in talibus quietem voluntatis appetere prosternere est animum. Sed sicut corpus ad ea que sunt excelsa corporum id est ad celestia naturaliter erectum est, sic animus qui substantia spiritalis est ad ea que sunt in spiritalibus excelsa erigendus est non elatione superbie sed pietate iusticie.

II. Corporales sensus communes nobis esse cum pecore, sed proprium esse hominis de his que sensu corporis comprehenduntur secundum etiam iudicare rationes.

POSSUNT autem et pecora et sentire per corporis sensus extrinsecus corporalia et ea memorie fixa reminisci atque in eis appetere accommoda, fugere incommoda; verum ea notare ac non solum naturaliter rapta sed etiam de industria memorie commendata retinere et in oblivionem iamiamque labentia recordando atque cogitando rursus imprimere, ut quemadmodum ex eo quod gerit memoria cogitatio formatur sic et hoc ipsum quod in memoria est cogitatione firmetur; fictas etiam visiones hinc atque inde recordata quelibet sumendo et quasi assuendo componere; inspicere quemadmodum in hoc rerum genere que verisimilia sunt discernantur a veris non spiritalibus sed ipsis corporalibus. Hec atque huiusmodi quamvis in sensibilibus atque